

www.e-rara.ch

[Ritus promotionis Academiae Basiliensis]

[Basel?], [1582?]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-11310>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

6

RITVS PROMOTIO-
NIS ACADEMIÆ
BASILIENSIS.



Producimus in conspectum.uestrum, M. D. Re-
ctor, generosi DD. Comites & Barones, Viri cla-
riss. Auditores nobiliss. & optimi, Virum hunc prestan-
tis ingenij, doctrinæ singularis, uirtutis eximie, cui ho-
dierno die more institutoq; maiorum, in his quasi Co-
mitijs Reip. literarię, testimonium præclare in sanctissi-
ma Legum sapientia nauatæ operæ amplissimum tri-
buturi sumus. Ea res uti cum ueri & eterni numinis præ-
dicatione religiosa, Reipub. commodo, huius denique,
cuius causa conuentus hic est institutus, dignitate con-
iuncta sit, eundem Opt. Max. Deum ex animo precor.
Nec enim dubium cuiquam esse debet, placere illi san-
ctos hosce cōgressus, in quibus de rebus maximis non
sine honestissima uoluptate ac fructu auditorum certo
differitur. Quo æquius est huius ipsius maiorum insti-
tuti originem ad Deum referre: præsertim cum caus-
sæ grauissimæ subsint, quas ob causas hæc scholastica
(sicut modò appellabam) comitia & habita sint hæte-
nus aliquot sæculis, & retineri deinceps debeant. Gau-
dent natu grandiores obseruari acceptos à maioribus
ritus, & esse adhuc aliquam illorum frequentiam, qui
doctrinam de Deo, de latis sapientissimæ legibus, quib-
us humani generis societas continetur, de alijs præcla-
ris rebus cupide discant: deq; hoc ipso quandam animo
suo posteritatem pollicentur, quæ non omnino futura
B sit bar-

fit barbara. Gaudent item iuniores intueri uenerandos patrum uultus (quo nomine Doctores etiam in omni disciplinarum genere nostros contineri, uel unus Alexandri Seueri exemplum docere potest, qui quidam in constitutione Vlpianum magistrum suum, patrem appellat) Doctorum ergo suorum uultus intueri gaudent, quorum ipsa grauitas, ad singularem eos modestiam, & uirtutis amorem haud dubie flectit. Neque uerò fieri potest, quin aliquid etiam secum ex hisce concionibus auferant, in quibus accuratè magnis de rebus multa dicuntur. Excitari denique uehementer ipsorum animos necesse est hac actione tota, qua operam studiosorum hominum præclaris artibus ac scientiis impensam, ornari uident prædicatione testimonioque laudatorum, & ipsidem in disciplinis excellentium uiro-
rum. Quotus enim quisque ingenuorum hominum, non acerrimos quasi in animo suo stimulos sentit, cum uirtutem aliorum in aliqua hominum luce frequentiaque celebrari commemoratione gloriosa uidet? Sic certè comparati à natura sumus, ut laudis & gloriæ studio ducamur, cuius adipiscendæ tanto quisque uehementiori studio tenetur, quanto à natura generosiores animi impetus habet. Etiam ipsi labores nobilibus animis fieri leuiiores solent, cū honoris sibi proposita præmia uident, ad quem non nisi grauissimis molestiis exantlatis perueniri potest. Quod ipsum prisca homines significare uoluerunt, quū sanū Honoris cum sano Virtutis ita coniungerent, ut in Honoris nisi per Virtutis fanum, nemini pateret aditus. Virtutem uerò summis cum laboribus esse coniunctam, Virtus ipsa docet illa in oratione, qua eam Herculem compellentem uti Prodicus fecit. In hoc quidem tempore futurum omnino speramus, ut multi ex hac ipsa concione domum alacriores.

criores abeant, in qua ornatissimum hunc Virum orna-
ri grauissimo Collegij Iuriconsultorum illustris huius
Academiae testimonio conspicient. Quanquam autem
ille superioribus diebus & priuatim nobis, & publicè
ad proposita capita omnibus respondendo, sic sese sum-
ma cum sua laude probarit, ut nemini non abundè sa-
tisfactum sit: tamen ut hoc etiam in loco specimen qua-
si quoddam edat, de quo tum sapientissimi in hoc coetu
homines existimare possint, quanta sit Candidati no-
stri Iuris & optimarum artium cognitio: tum adolescen-
tes fructum aliquem percipiant: quæstionem illi, de qua
differat, proponemus.

Q V A E S T I O.

*An legati ea quæ ipsis causa legationis donata sunt, te-
neantur restituere?*

Tu ergo, ornatissime domine Lachmanne, quid tibi
statuendum uideatur, nobis explicato.

R Ecce ab Alexandro rege potentissimo historiae pro-
diderunt, M. Rector, Illustres Comites & Barones,
cæteriq; Viri omnigena eruditione conspiciui, necnon
Adolescentes studiosi: eum initio, cum in causis capita-
libus ludex sedisset, accusatori alteram aurem oclusis-
se: rogatusq; cur id fecisset, alteram, inquiens, integram
seruo reo. Hoc idem mihi hodierna luce in hac frequen-
tissima doctis, hominum corona, usu uenisse uideo.
Proposita etenim mihi fuit hæc quæstio à Domino
Promotore Samuele Grynæo, discutienda, Sint ne le-
gatis donaria à Principe uel ciuitate præstita, relin-
quenda, nec ne? Et quamuis multa pro parte negante
adduci possunt argumenta, cum rationi, tum legibus

consentanea: tamen haud incongruum erit, pro parte affirmatiua, animi potius relaxandi quàm disputandi gratia, aliquid in medium adferre. Principio namque constat, neminem usqueadeò legum ciuiliū ignarum existere, dummodò aliquali eius notitia fuerit tinctus, cui non derepentè animo succurrat l. qui proprio. §. qui procurator. ff. de procurat. qua expressim deciditur, procuratorem, quicquid ex lite consequitur, totum domino restituere debere: quemadmodum etiam creditor, quicquid occasione pignoris ei obuenerit, non sibi, sed debitori, uti suo domino, refundet. Quod enim intuitu rei meæ penes aliquem existit, id totum mihi cum suis accessionibus restituendum erit, argumento l. si eum seruum. ff. si cert. pet. Hoc idem locum habebit in tutore, pupilli negotia administrante, à quo lucra, etiam quantumcunque minima, finita tutela repetantur, iuxta l. qui negotiationem. ff. de adm. tutor. Accedit etiam, quòd hæc donaria non ipsis legatis tempore obitæ legationis, sed ciuitati sunt quæ sita: testis est l. ciuibus. ff. de reb. dub. Ex quo enim in mandatis habuere quippiam expediendum, propter quod occasione eorum in legationem abierunt, si aliquid in eos elargitum fuerit, id ipsum in ciuitatem redundabit, argumento l. si plures. §. in arrogato. ff. de uulg. & pupill. substit. Plura legum testimonia in medium adducerem, ni breuitate temporis intercluderem: ideoq; iam ad alia scitu iucundiora descendam. Accepimus à uiro sempiterna memoria dignissimo, Erasmo Roterodamo, literis proditum lib. 5. Apophtegmatum, apud Corinthios lata lege arctissime uetitum fuisse, ne legatione fungentes munera acciperent à Principe. Corinthiorum itaque legatis semel atque iterum ad Dionysium tyrannum missis, donaria, prout mos erat, obtulit: quæ cum illi negarent se

rent se accepturos, eò quòd illis lege sancita interdictū
esset, in hac tandem uerba indignabundus prorupit:
Rem, inquit, absurdam facitis, qui quod unum bonum
habet tyrannus, hoc tollitis: dum docetis, etiam benefi-
cium à tyrannis accipere periculosum esse. Ille grauem
contumeliam iudicabat oblata recusare munera, cum
hac unare tyranni se possint alijs commendare. Tyran-
nidem enim adeptis superest, ut potentia inuidiam
munificentia comitateq; leniant. Agè uerò quid de
Alexandro Macedonum rege? qui una uice centum ta-
lenta dono miserat Phocioni. Is uerò percunctatus est
eos qui pecuniam adferebāt, quid ita, cum essent Athe-
nienses permulti, sibi uni illa mittat Alexander: illis
respondentibus, quoniam unum te iudicat uirum ho-
nestum & bonum: ergo sinat, inquit, me talem haberi
& esse. Egregium sane responsum ab homine uera Dei
cognitione alienissimo. Quis hic non admiratione pro-
sequatur incorrupti pectoris sinceritatem? Pauper erat
Phocion, nec doni magnitudine quicquam percellaba-
tur. Quòd si gentiliū exempla uos minime moueant,
moueat uos saltem statutum huius Ciuitatis uetustissi-
mum, singulari maiorum providentia sancitum, fre-
quenti iudicum consensu stabilitum, necnon tacito po-
puli cōsensu approbatum: ab illis etiam tandem ad uos
uelut de manu in manum, perpetuæ fidelitatis conser-
uanda gratia, deuolutum: quo unicuique ciuium lega-
tionem obeunti, sub iurisiurandi religione demanda-
tum, donaria à Rege Principēue oblata atque data, præ-
stituto tempore, ipsi Reipub. cuius curam subierit, fide-
liter consecrari debere: ea prorsus de causa, ut hoc lega-
tionis munus (uerius dicerem onus) suis ciuibz hono-
ri potius quàm commodo esset: ne spe præmiorum de-
liniti, aut magnitudine donariorum irretiti, ciuium in-

columitatem in præcipitium agerent. Hac enim uia multorum hominum fraudibus atque technis obuiam itur: arces naturæ locouē munitissimæ, quantumcunque ab alio auro onusto diuexentur, inconcussæ tamen persistent: omnis denique Respub. hac lue sauiissima, cupiditate scilicet pecuniarum procul depulsa, in gremium capiet amplissimum. Quare, ut finem dicendi imponam, uestrarum tantum erit partium, uos, uti in alijs, sic etiam in hac causa grauissima, æquissimi iudicis officio fungi debere, ubi communis ciuium salus agitur, ac singulorum ambitio interuertitur, ne in multorum perniciem publica priuatis cedere cogantur. Dixi.

POST EXPLICATAM

Questionem.

IN Olympicis olim certaminibus qui corporis uiribus superiores euasissent, varijs coronis remunerabantur: quantò ergo honestius erit, ut promeritæ dignitatis corona, honor uidelicet & gloria ijs tribuatur, qui animi uiribus splendidam uictoriam obtinuêre? Tu ergo, doctissime D. LACHMANNE, meritò mihi laudandus & exornandus es, qui omne ætatis tuæ tempus pulcherrimarum artium & scientiarum cognitioni manciparis: qua in re nec sumptuum magnitudo, nec peregrinationum longissimarum tedium atque periculum te deterruit, ut penitus nihil omittendum duxeris, quod ad hominis Politici consummationem spectaret. Ac ne difficultate quidem, quæ plerumque etiam nobiliora ingenia auerit, deterritus, uitæ tuæ cursum ad præstantissimarum rerum laudem & gloriam conuertisti, id nimirum uitæ genus ingressus, quod & optimum est, & quò omnia bene uiuendi recteq; agendi con-

di consilia non infelicitè referri queant. Itaque spem
de te firmam concepimus, te præclarissimum Reipub.
Christianæ fore ciuem: cuius rei nomine & Illustriss.
tuo Principi D. D. IULIO ECHTERO Epi-
scopo Vuirtzeburgensi, gratulamur, quòd talem illi
Academia nostra remittat uirum, cuius eruditio, uir-
tus, pietas, nobis omnibus satis superque perspecta,
spem minimè fallacem afferat, posse eum negotia sibi
concredita aptissimè, ac quod summum est, fidelissimè
perficere. Ad quam rem alacrius perficiendam dome-
sticum exemplum, tui nimirum parentis D. Laurentij
Fingerers, uiri uirtute, consilio domi forisq; clariss. &
qui ad summa quæq; honoris fastigia ab Illust. Vuirtze-
burg. Episcopis est euectus, domesticum inquam tui
parentis exemplum, excitabit. Vicissim & tibi gra-
tulamur, quòd tibi sub eo Principe uiuere contigerit,
quem ob excellentissimas animi dotes, pietatis, fortitu-
dinis, temperantiæ, clementiæ, & quod rarum est Prin-
cipibus uiris, singularis eruditionis, omnes ubique bo-
ni maximis laudibus efferunt: quem ut Deus Opt. Max.
communi Patriæ diutissimè incolumem conseruet, ex
animo optamus. Porro ut ad institutum nostrum re-
uertamur, cum neminem in hoc amplissimo Theatro
esse putè, qui non ultrò & tacitus honores tibi debitos
deferat: antequam tamen id fiat, Iuramento tu prius so-
lenni astringendus eris. Tu ergo Pedelle D. Candida-
tum ad Notariū adducito, tuq; Notari Iureiurando eum
solenni adstringito.

IURAMENTVM.

VIR ornatissime, ex animi sententiâ Iuras, Orna-
menta Doctrinæ, posteaquam ea hodie acceperis,

nequaquam amplius te petiturum, nec ultrò à quibus-
cunq; oblata; denuò recepturum: largitione illicita pro-
fusione uè, honoris huius consequendi gratia nec usum
esse hactenus, nec usurū posthac: aduersus Cancellariū
eam quam decet reuerētiam & obseruantia adhibiturū.
Reipub. & Scholæ Basil. ordinis præfertim Iure consul-
torum, commoda, utilitatem, quouis loco, quocunque
tempore, pro uirili curaturum, dignitatem comiter con-
seruaturum: Decurionis atque Collegij Iureconf. man-
datis & constitutionibus obtemperaturum; ornamen-
ta honorum à Iureconf. tribui solita, non collaturum,
nec consensurum ut tribuantur ei, quem eius gradus
decere indignum ex fide tua arbitratus fueris: nec eti-
am communi auctoritate probatum, sine consensu uo-
luntateq; ordinis insignibus aucturum. Per reliqua
boni uiri officio, in legibus potissimū interpretan-
dis, de iure respondendo, profitendo, agendo, defen-
dendo, iudicando, functurum: uti id Iuris, æquitatis, ius-
titiaq; consultum facere oportet & par est. Ita uelle
te quæ prædixi, facere omnia, neque scienter fallere,
Deum Opt. Max. in hoc amplius, confessu testem facis.

*Præstato Iuramento, Solemnia more & lege adhiberi
solita perficienda sunt.*

SOLENNIA,

V Sitatum priscis fuit temporibus, ut negotijs grauioribus certæ adhiberentur solemnitates, ac peculiari-
tes ritus: quibus uel rerum tractandarum maiestas red-
deretur augustior, uel dignitas amplior, aut recordatio
earum hominum animis altius infingeretur. Hoc non
iis solum qui ueræ Religionis fuere expertes, usitatum
fuisse

fuisse constat, sed in ueteri quoque Ecclesia Christiana inoleuisse, sacrae utriusque Paginae testantur historiae. Ac fatendum omnino est, multa eiusmodi adhibita fuisse, quorum usus, si citra superstitionem obseruetur, sit futurus optimus. Hunc morem antecessores nostri imitantes, in conferendis gradibus certis uti uoluerunt sollemnibus, quibus eorum amplitudinem & dignitatem illustrius ob oculos ponerent, & quantum dignitatis hic titulus in sese contineret, apertius demonstrarent. Quam rationem, ad excitanda quoque Iuuenum ingenia, plurimum momenti asferre non immerito sunt arbitrati: quod nemo sit, nisi abiectissimus, qui non laude & gloria natura ducatur.

Primum ergo in hanc te Cathedram quasi iustitiae quandam sacratissimam sedem colloco: potestatemque tribuo docendi Iuris Pontificij & Caesarei, publice & priuatim. Ex hoc iustitiae quasi puluinari, cum abs te Iuris interpretatio ceu ex oraculo quodam petenda sit, accurata animi deliberatione, singulari fidelitate & diligentia, ita in hoc amplissimo loco uersaberis, ut ingenij doctrinaeque tuae fructus uberes, omnes qui tuae opis indigent, percipiant.

Librum hunc, qui Ius Rom. scriptum continet, tibi offero: apertum primò, ut te commonefaciam, humanarum rerum controuersias, non ex cuiusuis arbitrio di iudicandas, sed ad Iuris scripti equitatem, tanquam normam Lesbiam examinandas. Sanè Ius scriptum Rom. diuino beneficio posteritati esse communicatum, praestantissimi quique Viri haecenus confirmarunt: itaque tantum beneficium turpiter aspernari, non levis ingratitudinis esse duco. Sit ergo tibi fertilissimus nostrae disciplinae ager maximae cura: in hoc excolendo omnem industriam adhibeto: nec dubitato, quin naturam ferti-

lium agrorum imitatus, uberrimos tibi fructus laudis, honoris, gloriæ, diuitiarum cumulatissimè sit suppetaturus. Eundem rursus librum clausum porrigo, idè duabus potissimùm de causis. Primum, ut Iuris cognitionem innumeris uoluminibus comprehensam, ac longè lateq; dispersam, certa discendi ratione adhibita, in angustum quasi contrahas, contractam Memoriam tanquam fidelissimo custodi concredas: ut ubiuis, absque etiam libris, domi forisq; tua scientia tecum obambulet, peruolet, peregrinetur, in ocio delectet, in negotio rebusq; aduersis perfugium ac solatium præbeat. Deinde ut memineris, consultis de iure accurata deliberatione opus esse, nec temerè & citra exactissimam circumstantiarum considerationem auctoritatem legum in nostræ sententiæ confirmationem adducendam: ne leges, quæ æquitatis & iustitiæ uindices sunt, hac ratione iniquitati & iniustitiæ patrocinari uideantur.

Pileum quoque capiti tuo impono, quo prisci Doctores insigniebantur, & Græci nobilitatis testimoniū esse uoluere, quin & in eorundem numis patriæ liberatores denotabat, teste Dione. Tibi uerò hoc in mentem ueniat, hoc ipso in munere quod suscepisti, pro multorum capitibus esse elaborandum.

Zona quoque hac corpus tuum cingo, quæ cum equestris militiæ ornamentum sit, tibi ideo tribuitur, ut intelligas, contra omne id quod salutis communi & æquitati contrarium est, non secus atque acerrimos patriæ hostes acriter tibi dimicandum. Nec enim minus certare illi credendi sunt, qui suæ defensionis uiribus publicis priuatisq; in rebus lapsa erigunt, fatigata reparant, humaniq; generis tranquillitati consulunt, quam qui prælijs & uulneribus patriam parentesue conseruant.

Annulo quoque te exorno: qui cum nobilitatis & ingenui-

ingenuitatis signum apud ueteres Roman. fuerit: hoc ipso in te dignitatem & auctoritatem publicam confero, ac dignū pronuncio, quia ad Rerumpub. administrationem accedas, easq; ope & consilio tuō protegas. Sed quia ingenui quoque hominis fidem annulus arguit, huius usum eum esse cogitato, ut sit, quemadmodum Cicerō ait, minister non alienæ uoluntatis, sed testis tuæ. Porro etiam cū usu receptum sit, ut sponsæ in publico piorum hominum cœtu ac ecclesia, annulus in signum perpetui amoris & fœderis à sponso detur: per annuli dationem hoc te existimare uolo, tibi hodierna die ad aram istam constituto, & in solēni hac pompa, Virginam castam ac pudicam, diuinam Iustitiam hespero longē fulgentiorem, desponderi: æternūque fœdus inter te & Virginem hanc castissimam feriri. Hoc cōiugium ut felix faustūq; sit, Deus Opt. Max. faxit. Tua sponsa hoc complexu & osculo, perpetuam fidem, beneuolentiam, amorem, felicitatemq; æternam tibi sanctē pollicetur, omnium tuarum actionum consiliorumq; sociam sese offert: abs te uicissim postulat, ut eam orbam, utpote regnis ferē omnibus expulsam, & uix ullo hodie loco consistentem, in tuam tutelam ac fidem recipias, neque improborum impetu & proteruia, affectionibus prauis aut turpibus nundinationibus adulterari patiaris. Procul ergo abs te eę cupiditates absint, quæ faces sunt dissidiorum publicorum: sed eō consilia tua dirigantur, ut iustē iudicatis controuersis publica pax & tranquillitas conseruetur.

Peractis solennibus, supremam nunc huic Actui maximum imponam. Habita ergo licentia & potestate à Reuerendis. & Illustri Principe D. D. Iacobo Christophoro Blarero à Vuartensee, Episcopo Basiliensi & Academiae Cancellario: te D. Iohan, Lachmannum
Vuitz

Vuirzburgensem Doctorem utriusq; Iuris, Pontifi-
cij & Cæsarij, desigmo, creo, constituo, proclamo: doq;
tibi simul potestatem liberam & auctoritatem, posthac
in dicta scientia V. I. Canonici & Ciuilis, legendi, in-
terpretandi, aduocandi, consulendi, iudicandi, differen-
di, disputandi, commentandi, cathedram quam uocant
Doctorem conscendendi: ceterosq; omnes & singu-
los actus ab I. V. Doctoribus expediri solitos, liberè
& sine impedimento, hic Basileæ & ubique locorum
obeundi & exercendi: in nomine Sacrosanctæ & indi-
uiduæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Faxit
Deus trinus & unus, ut quod hodie tecum peractum
est, ad nominis sui gloriam, Reipub. & Ecclesiæ
Christianæ, multorumq; commodum
& utilitatem uergat.

Dixi.

F I N I S.